Quaestio Medica Quodlib. disput. agit.^da In Scholis Medic. die martis 31.^a Januarii

Eruditissimo viro D. Joanne Fabro Pr. et Med. regio,

Moderatore Prudentissimo.

167

Sitne sensus omnis voluptatis, et doloris particeps?

Animus hominis et mentis divinae vis, sensibus immortalis, et caelestis, dum suo in corpore, suo ut ἐντελέχεια, forma, vel actus, tanquam in arctissimo et fenestrato concluditur ergastulo, suam operam ab externis sensibus colligere atque depromere cognoscit. quorum facultas quidem una omnis organorum singulorum propria in objectis et propriis, et viribus, si voluerit, et consistens fiat sensatio voluptate aut dolore afficiuntur. Oculi siquidem (unde Cupido suas accendere faces, sua quoque jaculari spicula, in hominum pectora noscitur, si vivi, blandi, submissi, vel ardentes fuerint) caeruleo viridique colore admirando totius mundi partiumque ipsius ornatu, corporum venustatis, signorum, picturarum pulchritudine, choreis, spectaculis, maxime oblectantur. Contra splendido, simulque albo vel solari atro nimis colore providentiarum, et miserandarum rerum spectro infestantur, et adeoque corrumpuntur.

Auditus semper patens disciplinas sensus (cuius surditati harmonicia vel diatessera succurrit) in aequalitate et arte quadam symmetria et moderato impulsi aeris consistens, suavissima tardissimaque voce, oratorum et poetarum numerosa oratione, suavissimo avium cantu, temperato musicorum concentu, gratissimo instrumentorum ad harmoniam resonantium sono, multiplicites delectatur. aspera vero maxima et celerrima voce, numeris carente oratione, destituto harmonia sono, vel hominum rusticorum sermone, vel belluarum multarum grunnitu, vel rugitu, et horrendo tonitruum et tormentorum bellicorum fragore offenditur, et plerumque labefactatur. εὔρυθμος vero melancholicis, catarrhisque animi affectibus curandis, ac et lentis morbis pituitosis efficacissima.

Gustus instrumentum vero affecta saliva mediocri alienas qualitatis experte, et a tonsillis manante perfusum, spirituos saporis temperamentorum indices non sine contactu percipit exquisite. dulcis sapor modorum pene infinitorum quam maxime et per se blanditur palato, quippe qui naturae temperatus spirituum collectam naturamque adeptam tanquam sui portionem subita habens corpori alendo multum est pondus. quorum e numero vina aromatica, et generosa quaedam, caelesti natura praedita videntur adulantur, et posti quod spiritus reddunt, et vim tuentur vitalem. Contrarius et amarus valde est ingratus et ad alendum inutilis. salsus linguam rodit et siccat acris vero, et mordicat. acidus repellit, medium penetrat sine frigidus. acerbus et austerus densat et exasperat. ex illorum autem multiplici inter se mixtione cibaria, fercula, obsonia et potiones ars parare solet magirica, quibus tum in sanis, tum in aegris gustatus maxima perfunditur voluptate.

Sensum afficiunt olfactus in anterioribus cerebri processibus mamillaribus sedem habentis, odores a saporibus essentias distincti tenuitate, quorum vero olentes gratissimi non solum voluptate perfundunt odorandi instrumentum, sed etiam vires cerebro corroborant, cor potissimum et cerebrum (ideoque, placandas et curandas pestilentias aptissimi) collapsos instaurant et reficiunt spiritus sicut in animi deliquiis cernimus. quo fit ut nimirum non debeat videri si rebus suavissimi odoris ut moscho aegyptio, aut zibetto (cerebrum vinifice roborante) vestes suffiunt, si vernos flores aspectu praestantium pulcherrimos, et gratissimo praeditos odore manibus gestare, postes et limina coronis et festis decorare, magna solertia studio qui amoribus indulgent.

Tangendi sensus ad vitam maxime necessarius in cute, multis corporum partibus internis nervorum beneficio diffusus ab externis et ab internis objectis et voluptatibus, et doloribus afficitur maximis. violento calidi, et frigidi contactu dolorem sentit maximum. ut et ab iis quae quassandi, secandi, distendendi, vel exedendi facultatem obtinent. suam vero ad naturam dum reditur adducitur, ut in iis quae exasperant, vel liquendis vel dissecandis, vel sensibilitate exuendis minorem in modum oblectatur. sic quies verae lassitudinem, fames vini potu solvitur. somnus cephalalgias, coctio cruditati (morborum fere omnium parenti) remedio est. repletio curatur inanitione. in summa sensibiles omnium quas cum molestia retinentur ut ciborum, faecum, urinae, flatuum, sanguinis seminis, excretio voluptatem affert non mediocrem, sed tamen quam natura speciebus immortalitati studens partibus generationi dicatis profert solum, si ὀργώδης congrediendi praecesserit cupiditas, nulla (in vivo praesertim aetatis florentis, summa acrimonia quadam praeditum multoque calido perfusum spiritu excrementum) sensuum externorum voluptas comparanda videtur.

Sensus igitur omnis voluptatis particeps, et doloris.

F.M.P. BIBLIOTHEQUE

Ponebat Joannes Bonardus Diocesis Lugdunensis 1581

Dni Doctores disputaturi.

M. Julianus Beré.	M. Franciscus du Port.	M. Petrus Rauin.
M. Nicolaus Marchant.	M. Nicolaus Lambert.	M. Joannes Rochon.
M. Germanus Courtin.	M. Guillelmus Lusson.	M. Petrus Rouget.